



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Olaus Mart. 29. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. OLAUS MART. 29. Iulii.

**S**Iulli magnatum profuit alienas terras  
 lustrare, OLAO profuit Norwegiæ  
 Regi. Fortè Angliæ regnum hospes in-  
 travit, cum oculis, non ut hodie fit, ad  
 curiositatem abusus, inter peregrina de-  
 cora. Fidem nostram aspexit. Placuit;  
 ac proin Rothomagi postea sacris undis  
 ablutus alius in regnum suum rediit, au-  
 la comites permultos Episcopos & fidei  
 præcones trahens. Sed & ipse gloriosum  
 duxit dignumque rege munus, Evan-  
 gelii præconium facere, quæ quidem in-  
 ter Imperii curas prima jam illi erat. Al-  
 tera ab hac, cum otium bella dabant,  
 purgare regnum ab ariolis & incantato-  
 ribus, quos ille, quia fumos vendunt,  
 dignissimos ignibus judicavit. Leges,  
 quas Ecclesia sanxit, quàm sanctas à suis  
 haberi voluerit, ex eo perspecies, si scias  
 quàm severè neglectas in se ipso vindi-  
 carit. Nam fortè festo die cortice bacil-  
 lum nudabat. Monitus statuit à malè  
 otiosâ manu poenas continuo expetere.  
 Itaque assulas in ipsâ manu incendi vo-  
 luit, & peccantem ignibus expiari. Cæ-  
 terum quia justitiæ amans cumprimis  
 erat, nihil mirum si post hanc terris  
 proscripam etiam ipse in exilium est  
 pulsus. Rediit tamen postliminiò in re-  
 gnum. Verum, quòd secum reducere et-  
 jam



29. Iulii. VITÆ SANCTORUM. 473  
jam justitiam laboraret, concitavit in se  
Danorum arma. Contra hos dum mo-  
vet, videt in somnis scalam ad cælos per-  
tingentem, dumque illuc connititur, ec-  
ce à legato expergefactus conqueritur ni-  
mirum cælo se detractum. Sed eodem  
mox subiit, cum proditus à suis in pug-  
nâ cecidit. Nostri tamen ævi principibus  
scalam, hoc est, vitæ exemplum reliquit.  
*Ex vit. Aquil.*

*Dum vocat & licet, virtutes amplectere:  
in oculis tuis versetur pudor, in auribus ve-  
ritas, verba vitæ in linguâ tuâ, imago Dei  
in corde tuo, in membris omnibus continen-  
tia, ut ab Angelis & hominibus callande-  
ris. S. Ephrem de Exercitatione.*

S. LUPUS EPISCOP. 29. Iulii.

**L**UPUM dixi. Tu, si vitam leges, o-  
vem, scio, dices, ita placidis mori-  
bus hic LUPUS erat. In conjugio an-  
nos egit septem omnino. Dehinc inter  
Cœnobitas cœpit vivere, & conjux in  
virginum collegio, gratissimo Superis  
divortio. Verum Trecenses ex cœnobio  
extraxerunt, & quamvis invitum LUPUM  
pastorem sibi legerunt, felicissimo even-  
tu. Alter enim lupus sed longè crudelis-  
simus gregi imminabat Attila, ille orbis  
prædo ebrius semper, sed nunquam satur  
humano sanguine. Et jam infesta signa  
urbi inferebat, cum obvius irato cum suis  
fit Pontifex, rogatque quem denique sese  
esse

Gg 5